

ut non ipse tantum disciplinas illas philosophicas rectè intelligeret, sed alijs quoq; eas dextrè traderet. Vidit enim sagacissimus juvenis, in nullo studiorum genere quicquam rectè inchoari, multo minus feliciter perfici, sine philosophiæ adminiculis: & vestro, Auditores, iudicio, rectè opinor vidit. Quid enim usu veniat illis, qui hæc studia spernunt, & derepentè illotis, quod ajunt, manibus ad superiores facultates irruunt, plurimi ad res gerendas sive in schola sive Ecclesia postea adhibiti, non sine dolore, & forte suo & auditorū damno experiuntur. Cautior hac in parte noster fuit LOBECHIUS, qui industriæ hujus suæ ac studij in philosophiæ penetralibus diligentius perscrutandis, fructum continuo coepit lætissimum, cum sacrum istud pietatis studium non ipse tantum coleret sedulò, sed etiam in privato collegio disputationum Theologicarum exercitijs præesset. Ibi namq; non minus verè quam sapienter à divino illo Basilio, (a) (qui a Nazianzeno (b) *oculus orbis*: Theodoro (c) *præclarum orbis terrarum luminare*: à Damasceno (d) *deifer & magnus in divinis*, nominatur) scriptum esse intellexit: *ὡς περ τῶ φύλλα σκεπλῶτε καὶ ὄψιν σὺν ἄνερον τοῖς καρποῖς παρέχουσι*: sicut folia tegumentum & ornamentum non in venustum præbent fructibus: ita quoq; liberales disciplinae ornamento ac tegumento sunt Theologiæ studio.

Etli enim Theologia in se & per se, armis aliundè quam ex armamentario spiritus sancti depromptis non indigeat, duæ tamen causæ sunt, quæ philosophicarum præceptionum cognitionem, in rerum Theologicarum tractatione à nobis exigunt. Cum enim electum illud Dei organum, gentium ille doctor apostolus Paulus, verbum Dei jubeat *ὀρθολομεῖν*: certum est requirere eum à sacrorum mysteriorum interpretibus, ut sciant & modum

a) Orat. de utilit. quæ adolentes ex lect. scrip. gentil. capere possint.

b) Vide 26. epist. inter epist. Basil.

c) lib. 4. hist. Eccl. cap. 15.

d) lib. 4 de orthod. fide cap. 17.

2. Tim. 2, 15